

/ Admodum Reverende Domine. Ad litteras D.Vestrae scriptas 22. Decembris anni superioris, distuli hucusque responsum, quia expectabam propediem exoptatissimum munus, quod videlicet reliquum erat ex Commentariis D.V. in Evangelium S.Joannis. Quia vero ante duos dies 5 primum recepi a D.Balthassare Moreto, quod expectavi per menses fere decem, ideo nunc primum respondeo; et maximas ago gratias, quod tandem Commentarium vestrum integrum habeo. Ego enim magni facio labores D.Vestrae, quia explicatio vestra litterae inhaeret, et non solum latinae, sed etiam graecae; neque desunt ea, quae ad bonos mo- 10 res utilia sunt. Delectatus sum etiam non parum dedicatoria epistola, quae ad Reverendissimum Generalem Praepositum Societatis Jesu directa est: is enim vir optimus, et doctissimus, et mihi in primis amicissimus est. Igitur pluribus de causis charitati vestrae obstrictum me fateor. Valeat D.Vestra mei memor in sanctis precibus suis, 15 et vicissim ego precor a Deo vobis ingentem gloriae coronam. Romae die 8. octobris 1616.